

IUSTI LIPSI  
DE  
MILITIA ROMANA  
LIBRI QVINQVE,  
COMMENTARIVS AD POLYBIVM.

Editio tertia, aucta variè & castigata.



ANTVERPIÆ,  
EX OFFICINA PLANTINIANA,  
Apud Ioannem Moretum.

cl. M. CII.

*Cum Priuilegijs Casareo & Regio.*

PHILIPPO III.  
HISPANIARVM  
ET INDIARVM  
PRINCIPIS.



QVÆ de MILITIA scripsi, magne Princeps, etiam tunc cum scripsi, animo tibi destinavi & inscripsi, & suspendi, ut sic dicam, ad tuam aram. Multa me incitabant. sed præcipua: quòd tuus essem, in solo & vetustissimo patrimonio tuo natus: quòd res militaris, & ideò magnitudine & fortunà tuà non indigna. Enimverò quem magis tractare aut scire hæc deceat, quàm Principem? & verissimè prudens ille noster Cornelius: *Cetera utcumque dissimulari, sed ducis boni Imperatoriam esse virtutem.* Quid verò talem Principem? Nihil blandimur tibi, nec publicè locus sit, aut gratia: sed ab orbe condito non fuit, qui maior in re aut spe fuerit, quàm te fata videntur destinasse. Præest iam diu maximus Regum pater tuus tot regnis; in utroque orbe iura reddit, veteri & nouo; atque

IUSTI LIPSI  
DE MILITIA ROMANA  
LIBER I.  
DIALOGISMVS I.

*Prefatiuncula & occasio dicendi, tum laus aliqua militiæ Romanæ.*



MERIDIE, vt ferè mos meus est, inambulabam, cupidis honestarum artium me præbens, & velut domesticas quasdam scholas habens, respondendo aut differendo. Venit ad me honestæ frontis & mentis adolescens, AUDITOR meus (nec aliter nunc appellem) qui salute dictâ, Illud de Militiâ promissum Lipsi, inquit, quando expungis? Tardum nomen es, ne dicam malum. Ego, Cùm otium erit, inquam. Longa res

*Initium sermonis.*

est, nec paucarum aliquot horarum. Ille iterum, De otio ne obtende, feriæ sunt, & tam vacui nos nunc, quàm ipsa Vacuna. Quando etiâ aptius? feruent omnia bellis, nec alij magis in mensis aut in circulis sermones. Quàm volupe sit, inter ista veterem illam seriò intellegere, & decerpere ex eâ aliquid quod sit in hodiernum vsus? Ego risi, & Quid ais, inquam, decerpere? sæculum hoc ignoras, aut dissimulas. Nam contemnunt nostri Martes hæc talia, & nœnias & ludos ea habent puerorum. Fortassis, inquit ille, vel ideò quòd parùm norunt. Nam plerisque horum iure illud occinas:

*Opportunitas.*

*Πεὶν γὰρ φερένδον, κατὰ φρονεῖν ἐπίστασαι.*

*\* Præsequi sapere, didicisti contemere. Chæremò.*

Et quid de illis mirer? pauci nostrum, qui libelliones habemur, scitè hæc scimus, & in nos quoque conuenit senis Cœi dictum:


*\* Πολλοὶ θαυμάζουσι, ὀλίγοι γινώσκουσι.*

*\* Multi admirantur, pauci intellegunt.*


Ne inter eos diutiùs ego sim, tu effice & adiuta. Nam pleraq. video, non video, & vt in confinio lucis ac noctis positus, parùm certo oculo discerno. Iam facis? Volo, inquam: sed, nisi vt tibi gratificer, quâ spe fructus? Imò verò duplicis, inquit ille, Certi & Incerti. Certi quidè, quod vera eafax ad historias: quarum quæ alia ferè materies, quàm bella & pugnæ? Incerti autem, quòd & hodierni Duces aliquid ex iis fortasse haurient, ad suum & præsentem vsus. Moui caput, & De hoc quidem diffido, inquam, illud priùs spero. Subiecit, Non ego: & meo animo ac vaticinio, aut iam est aut erit Princeps aliquis magnus, qui prauam & laxam hanc militiam corrigat, & ad veterem illam ordinet atque adstringat. O si ille dies! quas laureas & victorias videam? quàm longè latequè sparsa Christiana signa? Inuice hanc mentem Deus, & ad priscam illam ac Romanam

*Vilitas. Ad historiam.*


*Ad vsus.*



IMP. PALMYRAVS




EQVI IMPERATORII




LORICE  
SECUNTATE

CATAPHRACTE

# ICONISMVS ACIEI VVLGATAE.



- |  |  |  |  |  |
|--|--|--|--|--|
| A. Equites sociorum, vtriusque cornu viginti Turmae. | F. Equites Romani, Turmae viginti vtriusq; legionis.   | K. Principes legionis primae.            | O. Triarij legionis secundae.  | R. Extraordinarij pedites, vt ante, alterius Alae. |
| B. Hastati sociorum Alae sinistræ.                   | G. Equites Extraordinarij, vtriusq; cornu Turmae octo. | L. Principes sociorum dextri.            | P. Imperator, circa eum Tribb. & eius Todia equitum peditumque. Stat ante aquilas. | S. Triarij sociorum.                               |
| C. Hastati legionis secundæ.                         | H. Principes sociorum sinistri.                        | M. Triarij sociorum.                     | Q. Triarij legionis primae.  | T. Velites sparsi ante et per intervalla.          |
| D. Hastati legionis primæ.                           | I. Principes legionis secundæ.                         | N. Extraordinarij pedites, cohortes duæ. |  | V. Legatus qui præest cornui.                      |
| E. Hastati sociorum Alae dextræ.                     |  |  |  |  |



b

IUSTI LIPSI  
ANALECTA

siue  
OBSERVATIONES

DE RELIQUÆ  
AD MILITIAM  
ET HOSCE LIBROS.



VANTVERPIÆ,  
EX OFFICINA PLANTINIANA,  
Apud Ioannem Moretum,

CL. M. CII.

*Cum Privilegijs Casareo & Regio.*



## AD LECTOREM.



DIVINXIMVS etiam, Lector, reliqua  
 Observationum quædam, & vt verè  
 appellamus, ANALECTA. Cur autem  
 recolligo? cur non in Opere ipso dedi?  
 Causæ sunt, quas boni æquique con-  
 sules, quisquis estalis. Primum, verebar ne nimis à re  
 interdum abirem, aut certè diutiùs in eâ sisterem; si  
 quidquid eò facit, concinnarem. Polybius quæ non  
 tetigit, aut quibus ansam non dedit vt apprehende-  
 rem, passus sum abire paullulum, mox reprehenden-  
 da. Ordo etiam ita visus melior, nec in omni occa-  
 sione mens abducenda lectoris. Fit cum noxâ eius,  
 adeò non cum fructu. & vt oculus qui variè se infle-  
 ctit, intentè nihil videt: sic mens, quæ auocatur.  
 Denique & tertio, curiosâ quibusdam quædam ex his  
 visum iri censebam, & velut *πάρεργα*. qui igitur sic  
 affecti, prioribus illis contenti, ad hæc ne veniant: &  
 qui aliter, quibusque cupido est scitè aliquid scire, leui  
 diuerticulo huc deflectant. An & quartam causam  
 addam à meâ fortassis incuriâ? prodam, nec dissimu-  
 labo. quædam mihi ex dictis illustranda magis visa,  
 quædam firmanda, fortasse & alibi adducenda & re-  
 stringenda. Ea omnia decorè mihi facturum videbar  
 in hoc adtextu. Siquid etiam nunc neglexi, aut non  
 correxi: veniam da, quisquis memor es tuæ & meæ  
 conditionis. Quid ambo sumus? homines, id est  
 labi faciles. quid ego seorsim? æger, & in decen-  
 nali amplius languore. Ah, quoties per eum in cali-

# IUSTI LIPSI ANALECTA

## siue OBSERVATIONES LIB. I. DIAL. II.



**D**E Dilectu.] Dilectus Græcis est, *ερατολογία*, *ιστιμῆ*, *κατάλογος*, & *κετυ* *γερφὴ*. Dicunt passim *κατάλογον ποιῖδας*, *καταγεγραμῶν ποιῖδας*: legere militem, scribere militem: sicut & Romani. De scriptura idem, quia sic lecti in tabulas & codices referebantur, ut memoria nominum & stipendiorum publice exstaret. Itaque *κατάλογος* etiam pro ipso tali indice, ut in Suida: *Κατάλογος, ὁ πῦσις ἐστ' ἐκγεγραμῶν ἢ ερατομῶν τὰ διήματα*: Catalogus, liber aut brevis, in quo militantium nomina scribebant. Dio Cassius peculiari quodam sensu usurpat, pro civilibus tantum & legionariis copiis, ut libro LII. *ἑκατητάρχης ἐκ τῷ καταλόγῳ*: Centurio è catalogo, siue è legione. Iterum libro LV. *τὰ τεύχη ἢ ἐκ τῷ καταλόγῳ ερατομῶν*: legiones eorum qui ex catalogo & dilectu militant. Opponit auxilium, & copias non perpetuis ac firmis. Tertio idem, libro XL. de Crasso Divite: quæ scribit ut pauperes miserati solitum, *τοὺς μὴ διαμένειν ἐρατομῶν κατὰ λόγῳ ἐκαστοῦ ἀρχῆς*: eos qui non possent legionem catalogi à se & domesticis copiis alere. Quod dictum Plinio esset, libro XXII. cap. x. M. Crassus negabat locupletem esse, nisi qui redditu annuo legionem tueri posset. Haud dissimiliter in Basilio de quadraginta martiribus: *Ἐἰς τοὺς ερατομῶν ἐλάχιστα κατὰ λόγῳ*: In militares legiones relati sunt. Eoq; sensu reperies in Iustini Nouelli. Vox etiam alia huic rei, a quo illo sequenti, Adnumium, vel Adnumius. In Suida: *Ἀννίμιος, ἀπογεγραμῶν ὀνομάτων παρὰ Ῥωμαίους*. οἱ δὲ ἀδνίμιον φασιν: Annunius, descriptio nominum apud Romanos; alij autem Adnumium dicunt. Est in Cedreno ea vox, rebus Iohannis Comnen: & interpres vir industrius & doctus faretur ignorare quid vocis esset. Est & in Leone, Cap. VI. Tempore rogæ & adnomij, id est descriptionis nominum. Sed ne dissimulem, non tam in Dilectu fortasse locum habet quam in recessu & adnumeratione militum sub tempus stipendiij aut largitionis. Ad hæc ipsam rem reperies, Pittacia, Breues, Laterculum Matriculam. Sicut autem scribebantur iam milites, ita debebantur non milites & reiecti. Plautus aspexit:

Pulchrè miles centuriatus ibit expuncto in manipulo.

Et explicabit Scholiastes verus in hoc Persij: Proximus expungam.] Tractum à militibus, qui expuncti dicuntur, dum foras à militiâ emittantur. Solent & mortuos ibi notare, & Theta suum adfigere. Ruffinus in Hieronymum: Quod tale esset, quale si quis accepto breviculo in quo militum nomina continentur, nitatur inspicere quanti ex militibus supersint, quanti in bello ceciderint: & requirens, qui inspicere missus est, propriam notam, verbi causâ, ut dici solet. 3. ad vniuscuiusque defuncti nomen adscribat, & propriâ rursus notâ superstitem signet.

„ Tenuiores ad militiam non vocari.] De bonâ illâ & compositâ rep. verum est: *etsi* *postea remissum*. Ad eò, ut non libertini solum, sed serui etiam adscripti; sed serè per civilia bella, cum Virtus & Honos ius suum agrè seruant. Exemplum tamen ab euo Annibalis, cum necesse sit as id expresse. Tunc enim nõ solum octo millia seruorum in militiam emptâ, quod Linius aliq; produm: sed etiam pastores aliquot ferociores in equites adsumpti. Docet V. Alerius (quod alij sicut) libro VII. Ex Apuliâ quoque & Fidiculis septuaginta atque ducenti ad supplementum equitatus sunt empti. Atque *bovispos* statim appellat à pastoralibus casis col-

indicat, diem scribit Germanis fuisse pro Scutis, tenues & fucatas colore tabulas. Ita isti: Plutarchus tamen Cambriae Ibeionisq; dat Supra's notans, scuta lata. Sunt nummi ad illam formam:



Pagin. 111.  
lin. 20.

33 Ferreus umbo.] Cum de Umbone aliisq; accurate ita Polybius, cur sicut de ornatu Scuri & pictura? Solent enim Graci, Romani, Barbari varias formas aut colores scutis addere; siue ad insigne ut cognobiles essent, siue ad decorem. Ventus ritus. & quem heroicis quoque temporibus video obtinuisse. Plutarchus Vlysem ait Delphina in scuto habuisse, libella De sollertiâ animalium: Lycurgus tridentem assignat Pa-

lamedi. Herodotus originem rei ad Caras refert libro. 1. Κάρις δὲ ἐστὶν, ἢ καὶ τῶν Ἰωνῶν ἐστὶν τῶν ἀπὸ τῆς καὶ οὐμῆα πορῆδος: Caras sunt qui ostenderunt signa scutis imponere. Strabo idem libro XIIII. & Beryonia ipse appellat, Insignia seu Notas. Sequenti auro multa exempla. ut in Gracis, Plutarchus scribit, eum qui Lylandrum interfecit, insigne clypei draconem habuisse: eoq; oraculum monuisse, ut Draconem vitaret. Idem de Spartano quodam, qui clypei insigne Muscam haberet, viâ nihil maiorem: cumq; irrideretur ab aliis, quasi ab ignavia & metu ita fa. eret, ne hosti conspicuus esset: Imò, inquit, ut agnoscat. Vique eò enim accedo, ut cernere cominus possint signi mei modum. Athenæus de Alcibiade, scutum ex ebore & auro cōfectum habuisse, & in eo Cupidinem pro insigni, qui brachiis fulmen complecteretur. Ad poetam si abeam, quis finis? ij deos, homines, animantes, alia intexunt, & panè quicquid in rerum naturâ. Sed Romanos videamus, quos vetustus Propertius negat ita cultos fuisse, libro IIII. eleg. XI.

Lib. XII.

Picta nec inducō fulgebat parma pyropo,  
Præbebant cæsi baltea lenta boues.

Non vult pro temporis sui luxu, pyropo scuta ornata; siue lapide ipso, siue potiùs colore rutilo & flammante. Talis enim in fulmine, quod crebrum valde, & quasi de more, in Romanis scutis. Sed tamen ante de Tatio rege Sabino, idem poeta scripserat:

Pictaque per flauas arma leuare iugas.

Et scutum intellegit. in quo iam olim imagines etiam Iuuenalis agnoscit:

Pendentisque deos perituro ostenderet hosti;

Romulum & Remum de lupâ pendentem: & ostenderet, nempe admoto scuto. Sed & Maiorum sacra expressa. ut de Sciuolâ quodam Silius libro VIIII.

Sciuola, cui dixæ celatur laudis honorâ  
Effigie clypeus. flagrant altaribus ignes,  
Tyrrhenum valli medio stat Mucius, irâ  
In semet versâ.

Aut imagines eorum. ut de Scipione Africano idem libro XVI.

Terribilem ostentans clypeum, quo patris, & vnâ  
Cælarat patrui spirantes prælia dira  
Effigies.



Sed & proprias fortasse laudes & sacra calabant: quod libes de bello Hispanensi, etsi parum integer, subiicit, de singulari congressu insignium duorum militum: Cum ad dimicandum in planitiem se contulissent, scutorumque laudis insignibus præfulgens opus cælatum. Quin etiam sentis intueri est, in columna Traiani, sicut a quedam coronis variis ornata. quas equidè donaticas fuisse arbitror, & eo inditio latis. Adnotatq; alibi (puto columnâ Antonini) duplicem: aquilam, concorporatam sic ut in imperij insignibus hodie solet. Quâ causâ nec enim tunc duplex illud imperium Orientis

SVMMA PRIVILEGII REGII.

**R**EGIÆ Maiestatis Priuilegio cautum est, Ne quis *Iusti Lipsi de Militiâ Romanâ Libros quinque, unâ cum Analectis siue Observationibus*, citra voluntatem Ioannis Moreti Typographi Antuerpiensis, vlllo modo imprimat, vel alibi impressos importet, distrahât, venalê siue habeat per omnes ditionum eius fines; qui secus faxit, confiscatione librorum, & graui pœna mulêtabitur: vt latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, xvi. Maij. M. D. XCIII.

Signat.

I. de Buschere.

Et

D'Enghien.